



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Sectio Prima. Prima ratio ex perfectissimo Mariana mentis, & voluntatis
intelligendi, & operandi modo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

tres sententias referens dicat: Prima opinio, & tertia non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Conciliis ab Ecclesiâ damnatæ. Ecce S.D. opinionem ab hæresi distinguit; quod & nos docuimus dicendo, damnatos ab Ecclesiâ Hæreticorum errores, non tantum non esse opiniones probabiles, sed ne quidem esse opiniones, sed hæreses. Si autem omnis aliena in materiâ Fidei inter Catholicos incertâ est semper error, immo ita est falsa, ut non sit probabilis illi, cui opposita propria est probabilior, ut aliqui Neoterici Probabilioritæ docent, (quod tamen esse evidenter falsum fatetur vel ipse Fogarinus ^{Fogar.} Certitudinista) eo ipso sequitur, quod cum ille error sit in materiâ Fidei, erit hæresis respectu illius, cui opposita propria est probabilior. Hoc autem non tantum est contra S.Thom. quin omnem sapientiam Catholicam, & Christianam: ergo aliena est etiam probabilis illi, cui opposita propria est probabilior: ergo potest quis licitè sub certo de objectivâ probabilitate opinionis alienæ iudicio operari, suspensio saltem iudicio di-

recto subjective probabiliori de veritate propriæ.

Plura de existimatione, quàm de opinio-
ne alienâ habere debemus, dabit M. Sylve-
ster in Sum. v. Contentio, & M. Ponus in
Artil v. Magistri, & Guimen pag. 402. mihi
satis est S. Augustini exemplum, de quo P.
Vasqu. i. p. disp. 89. cap. 4. dixit: Vnus pro
multis mihi semper erit Augustinus; nam in
materiâ de Gratiâ non aliter, quàm Sol inter
minora Sydera, inter ceteros Ecclesiæ PP.
fulget Augustinus, ait P. Vasqu. cap. 1. Igi-
tur S. Aug. de se loquens lib. de Dona Per-
sever. cap. 22. scribit: Neminem velim sic
amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in
iis, in quibus me non errare perspexerit;
nam præterea nunc facio libros, in quibus
Opuscula mea retractanda suscepì, ut nec
me ipsum in omnibus me secutum fuisse de-
monstrem. Ecce quâ moderatione de se lo-
quatur, approbans licitum sequi tam suam,
quàm oppositam opinionem, nisi perspexerit
aliquis, id est, clarè noverit, eam esse erro-
rem.

DISPUTATIO XXIII.

*Solidissimæ rationes pro solius iudicij reflexi certi de objectivâ præ-
dictâ probabilitate veritatis opinionis sufficientiâ.*

SECTIO I.

*Prima ratio ex perfectissimo Mariane mentis, &
voluntatis intelligendi, & operandi modo.*

§. I.

Deipara exemplum in incertis.

SUMMARIUM.

*Admirabilis doctrina P. Suar. n. 1.
Ex summâ Deiparæ prudentiâ infert P. Suar.
Deiparam numquam definitè de re incertâ ju-
dicasse, n. 2.
Infert Deiparam ad solum iudicium reflexum
tunc appellasse, n. 3.
Et quidem ad solum reflexum de probabilitate,
num. 4.
Longè prudentius est ad solum reflexum appella-
re, quàm ad directum, n. 5.
Solum iudicium de objectivâ probabilitate satis
est juxta P. Suar. ad prudenter operandum,
num. 6.
Implicat lex obligans in incertis ad iudicium di-
rectum, ib.*

*Trahit P. Suar. exemplum Beatorum, qui solo
reflexo contenti sunt, n. 7.*

*Lex obligans ad iudicium directum est contra
prudentissimum Deipara, & Beatorum mo-
dum, n. 8.*

*Ex dictâ doctrinâ formo insolubile argumenti. 9.
Immunitas intellectus Mariani ab omni errore
salvari non potest, nisi suspensio iudicio directo
de veritate, & concepto solo reflexo de proba-
bilitate, ib.*

*Omne iudicium, etsi moraliter certum, esse possit
materialiter falsum, n. 10.*

*Ex eo quod Deipara numquam erravit, non in-
fertur, quod omnia sciverit, n. 11. 12. 13.
Revelationes fictitiæ non sunt admittendæ, ib. &
n. 14.*

*Deipara à solo iudicio reflexo, suspensio omni di-
recto, regulata fuit immediate ad honestissi-
mas operationes, n. 15.*

*Perfectissimus operatur, qui nititur soli reflexo de
probabilitate, quàm qui vel soli directo mora-
liter certo de veritate; vel huic simul cum iu-
dicio reflexo de objectivâ certitudine certita-
tis, n. 16. & 17.*

Non datur essentialis connexio inter veritatem, & certitudinem moralem, n. 18.

Plura moraliter certa sunt falsa. Exemplum Concilij Africani, ibid.

Satis ut imprudenter formidare possum de veritate, ut est in re, iudicij moraliter certi, n. 19.

Omne iudicium inevidens naturale, non autem supernaturale, potest esse falsum, n. 20.

N. 1.
P. Suar.

PATER Suar. cuius nullam dedit operam inter DD. Societ. re-
calatos disp. 22. mentionem feci,
ut plenam manu afferrem quæ ad
rem nostram tradit, hæc habet
tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 6. quibus ad rem
concludendam, nec nobilius aliquid afferri
potest. Disputans igitur, quomodo Deipara
in Filij sui inter notos questione nec ma-
terialiter errarit, respondet: *Quia B. Virgo*
plenum habuit dominium suarum passionum,
summamque prudentiam absque ulla inordinato
motu, potuit facile, numquam definite, judicare
de rebus incertis, sed vel suspendere iudicium,
vel judicare hoc esse probabile, aut verosimile,
aut apparens, vel aliquid huiusmodi. Hæc enim
existimatio sufficit ad prudenter operandum; &
qui non vult se exponere periculo errandi, si per-
fecte denominatur suis actibus, cum hac mode-
ratissime iudicat; adeo ut ipsi etiam Beati de his
rebus, quas certo non norunt, non aliter iudi-
cium ferant, nisi Divinâ revelatione instruan-
tur, quos in hac perfectione imitaram esse B. Vir-
ginem credibile est, cum & facile potuerit, &
melius, & perfectius hoc sit. Hæc ad verbum
Doctor piensissimus, & sapientissimus, bre-
vissimâ periodo rem nostram tum exemplis,
tum rationibus digerens.

N. 2.
P. Suar.

Ecce 1. ex pleno Deiparæ in suas passio-
nes dominio, & ex summâ ejusdem pruden-
tiâ, & ex omnimodâ cujuslibet motus in-
ordinati carentiâ, Exim. Doctor deducit
tum quod Deipara numquam definite de re-
bus incertis iudicavit, tum quod tale iudi-
cium directum facillimè suspendere potue-
rit. Ergo obligare, ut quis antequam opere-
tur, directum temper formet de rebus in-
certis iudicium, sive subjectivè probabile,
sive subjectivè probabilis, sive moraliter
certum, (quorum quodlibet potest esse in
re falsum) tantum abest, ut summam pruden-
tiam, & plenum in proprias passiones do-
minium, & omnis inordinati motus exem-
ptionem sapiat, quin sapit saltem non sum-
mam prudentiam, si non sapit impruden-
tiam; & exiguum in proprias passiones do-
minium, & animi inordinationem indicat.

N. 3.
P. Suar.

Ecce 2. idem Ex. Doctor exponit mo-

dum, quo prudentissima Virgo in rebus in-
certis gerere se potuit; nempe suspendendo
iudicium; (intellige directum) quodlibet
enim, etsi probabilis, aut moraliter certum,
quia potest esse materialiter falsum, à Vir-
gine excludit, appellando ad solum reflex-
um, vel de probabilitate, vel de verosimi-
litudine, vel de apparentiâ, vel de aliquo
huiusmodi. Ergo appellatio ad solum iudi-
cium reflexum de objectivâ probabilitate,
verosimilitudine, aut apparentiâ, non tan-
tum non est illicita, quin est animi ab omni
inordinato motu immunis, sui que ipsius
compotis, necnon summæ prudentiæ testi-
ra, & argumentum.

Ecce 3. quod Ex. Doctor non dicat, vel N. 4.
judicare hoc esse probabile, verosimile, ap-
parentius; sed dicat, quod Deipara facile po-
terat numquam definite judicare de rebus
incertis, sed vel suspendere iudicium, vel
judicare hoc esse probabile, aut verosimile, vel
apparens, vel aliquid ejusmodi: ergo, juxta P.
Suar. ut Deipara prudentissimè se gereret,
& operaretur, latis illi erat iudicium de ob-
jectivâ probabilitate, verosimilitudine, ap-
parentiâ, aut aliquo huiusmodi; non autem
necesse erat Deiparæ iudicium de objectivâ
probabilitate, aut maiori verosimilitudine,
aut apparentiâ: ergo appellare ad solum
iudicium reflexum certum de objectivâ
probabilitate veritatis, suspensio in rebus in-
certis omni iudicio directo, etsi probabilio-
ri, & moraliter certo de veritate, est sum-
mæ prudentiæ specimen, & fastigium.

Ecce 4. juxta mentem Ex. Doctoris, sum-
me prudentiæ est appellare potius ad solum
reflexum certum de objectivâ veritatis pro-
babilitate iudicium, quàm formare direc-
tum de veritate iudicium, etsi subjectivè
probabilis probabilissimum, aut moraliter
certum; quia eo ipso quod circa rem incer-
tam versetur, quodlibet est subjectum erro-
ri: non ita iudicium reflexum, cujus ob-
jectum est evidens probabilitas: ergo in casu,
quo quis stet inter duo iudicia, unum direc-
tum, subjectivè moraliter certum, aut
probabilis; aliud reflexum certum, & evi-
dens de objectivâ, etsi minori probabilitate,
longè prudentius se gerit, qui in incertis
suspendit omne directum, etsi subjectivè
moraliter certum, quia potest esse in re fal-
sum, & unice appellat ad solum reflexum
evidens de objectivâ, etsi minori, probabi-
litate; quàm qui omittit reflexum, & ap-
pellat ad directum. Immo longè prudentius
se gerit, qui omittit semper iudicium direc-
tum, etsi subjectivè moraliter certum, quia
potest esse falsum, formato unice iudicio re-
flexo

flexo evidenti de probabilitate; quàm qui simul, & semel concipit tum reflexum evidens de objectivâ probabilitate, aut morali certitudine veritatis opinionis; tum directum subjectivè moraliter certum; aut probabilius de veritate opinionis: ille enim nulli se exponit periculo; hic autem semper se exponit periculo errandi materialiter; cum omne iudicium, quantumcumque moraliter certum, nisi certitudo criatur ab evidentiâ, (tunc autem non erit purè moraliter certum, sed erit evidens) possit esse materialiter, seu in re falsum.

N. 6. Ecce 5. quòd, juxta Ex. Doctorem, *hac P. Suar. existimatio sufficiat ad prudenter operandum*, id est, solum iudicium evidens de objectivâ probabilitate sufficiat ad prudenter operandum. Hoc autem P. Suar. adeo verum putat, ut dicat, quòd *qui non vult se exponere periculo errandi, si perfectè dominatur suis actibus, cum hac moderatione judicet*; nempe, ne quis periculo erroris se exponat, si perfectè se gerere velit, contentus esse debet solo iudicio reflexo evidenti de objectivâ probabilitate; hoc enim est cum animi moderatione judicare: ergo tantum abest, ut lex aliqua detur, aut dari possit, obligans nos ad formandum semper directum, etsi moraliter certum, de rebus incertis iudicium; & tantum abest, ut hoc iudicium directum, etsi probabilius, sit elicitive, & intransitive prudens, quin totam prudentiam P. Suar. refundit in solum evidens de objectivâ probabilitate iudicium: & ea lex, quia absque ullâ necessitate obligaret nos ad sepe materialiter errandum, esset absona, & veritati, & prudentiæ opposita, & ex inordinato animi motu procedens.

N. 7. Ecce 6. quòd Ex. Doctor, ut suam doctrinam inconcusse stabiliat, ad Beatorum mentem omnis materialis erroris incapacem recurrat; ait enim, Beatos in rebus incertis, de quibus nullam habent revelationem, non aliter iudicium ferre; nempe, suspendere semper omne iudicium directum, quantumvis subjectivè moraliter certum, & probabilius, (eò quia omne tale potest esse materialiter erroneum) & appellare ad solum evidens reflexum de objectivâ veritatis iudicij directi probabilitate, aut probabilitate: ergo suspendere omne directum in rebus incertis, etsi probabilissimum iudicium, & concipere solum reflexum de objectivâ veritatis probabilitate iudicium, est juxta honestissimum Beatorum, & Deiparæ operandi morem.

N. 8. Ecce 7. quòd P. Suar. concludat, tum P. Suar. quòd Deipara Beatos imitata sit in suspen-

sione iudicii directi, quoties res, honestas, aut veritas est incerta, & in solius reflexi evidenti de objectivâ probabilitate rei, honestatis, aut veritatis, & licentiâ; tum quòd iste modus suspendendi incertum iudicium directum, & concipiendi solum evidens reflexum de objectivâ probabilitate, sit melior, & perfectior: ergo quidquid Nestorici contra nos intentent, obligando, ne quis operetur, nisi concipiat iudicium directum in incertis, etsi illud sit subjectivè probabilius, aut moraliter certum, quia omne tale est capax erroris materialis, est contra perfectum Deiparæ, & Beatorum operandi modum; & quidquid nos asserimus de sufficienti solius iudicii evidenti reflexi de objectivâ probabilitate honestatis, aut non peccati, ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, est juxta perfectum iudicandi, & operandi Beatorum, & Deiparæ morem.

Premissâ hæc in selectum Ex. Doctoris N. 9. textum Glossâ, & paraphrasi, procedo ad formandum argumentum, illudque modo iudice insolubile; & in quo omnes Theologi, & Divinæ Scripturæ Interpretes conveniunt, & quod laudaturi sunt omnes, quibus immunitas Mariani intellectus ab omni materiali errore in amore est. Decet ergo omnes Deiparam nullo nunquam ne quidem materiali errore purissimam mentem suam contaminasse, non minus ac nullâ materiali culpâ voluntatem suam infecisse, aut corpus suum materiali sorde fcedasse. Sed nisi licitum sit suspendere omne directum iudicium, probabile, probabilius, probabilissimum, aut moraliter certum de veritate opinionis directæ, (sive ea veritas sit speculativa, sive practica, seu honestas actus, & objecti) & operari ex solo iudicio reflexo de certâ probabilitate, aut probabilitate, quantumvis in lineâ probabilitatis supremâ, & moralis certitudinis metas attingente de veritate opinionis directæ, nequitiam excellens mentis Marianæ privilegium salvari potest: ergo nisi licitum sit ex solo iudicio reflexo de certâ probabilitate, aut probabilitate, aut certitudine morali veritatis opinionis directæ, suspenso omni prorsus iudicio directo subjectivè probabiliori, aut moraliter certo de veritate ejusdem opinionis directæ, nequitiam ex cellsum Marianæ mentis privilegium, seu immunitas ab omni materiali errore salvari potest. Maiorem puto inconcussum; satis enim superque est ad perimendam omnem dubitationem communissimus TT. & Divinæ Paginæ Interpretum calculus; necnon infinita

infinita propemodum Deiparae dignitas immo innata mortalium erga Deiparae privilegia inclinatio. ^{N.} Minor probatur; quia duplex tantum occurrit tam insignis privilegium defendendi modus: Vel fingendo obviā, & trivialem rerum omnium, quae infra evidentiam jacebant, Divinam revelationem factam Deiparae; adeo, ut quoties aliquid Deiparae non erat evidens, etsi illi esset moraliter certum, aut probabilius, aut probabile, immitteret Deus revelationem, & infallibili supernaturali lumine manifestaret, quae pars esset vera, an quae videbatur moraliter certa, an quae improbabilis; an quae probabilior, an quae minus probabilis; etenim omnis, & sola evidentia naturalis, aut illustratio supernaturalis indispensabiliter, & essentialiter connectitur cum veritate ut est in re; nulla autem probabilitas, quantumvis summa, nullaque certitudo moralis connectitur indispensabiliter, & essentialiter cum veritate ut est in re: & ideo, etsi teneat consequentia ab evidentia, & revelatione ad veritatem, ut est in re: ex. gr. est evidens; aut est revelatum, ergo est verum in re; attamen non semper tenet consequentia à morali certitudine, & probabilitate, quantumvis summa, ad veritatem ut est in re; non enim semper valet, est probabile, probabilissimum, aut moraliter certum, ergo est verum in re. Vel dicendo, quod circa omne objectum in-evidens, & non revelatum, etsi appareret probabilius, aut moraliter certum, Deipara suspenderit semper omne iudicium directum, etsi subjectivè probabilissimum, aut moraliter certum de veritate: etenim omne tale iudicium directum, etsi moraliter certum, esse poterat materialiter falsum, ut experientia, & ratio quotidie evidenter testantur; sed primum dici non potest; ergo dici debet. secundum: ergo non tantum licitum est, quin perfectissimus operandi modus, & unicus pro tuenda ab omni materiali errore immunitate mentis, est suspendere omne de re in-evidenti, & non revelatū iudicium directum, etsi probabilius, aut moraliter certum; & ex solo reflexo certo iudicio de probabilitate, aut probabilitate, aut objectivā certitudine morali veritatis opinionis directae dirigi ad honestē, aut saltem ad non inhonestē operandum. ^{N.} Quod vero recurrere non possimus ad fictitium perennium supernaturalium revelationum fluxum, patet 1. quia absque ullo prorsus fundamento, & non nisi arbitrariē perennis ille Divinarum revelationum fluxus fingeretur; nullibi enim, nec in PP.

nec in Apostolica traditione, nec in Ecclesiastica definitione, immo nec in supremā Deiparae dignitate; ullum apparet, aut reperire est dictarum revelationum vestigium; tanto magis, quod praexcellens Mariana mentis privilegium aliter tueri possumus. ^{N.} Patet 2. quia tantum abest, quod Scriptura Divina dictis perennibus revelationibus favcat, quin illis adversatur; etenim Scriptura nos docet, quod Deipara ignoraverit, ubi Filius latēret; si autem hoc ignoravit, consequenter plura alia minoris momenti, & sibi minus pertinentia ignorasse quoque dicendum est: ergo hypothesis earum revelationum, quoties res in-evidens erat Deiparae, est prorsus commentitia. ^{N.} Patet 3. quia aliud est, quod Deipara numquam materialiter erraverit; hoc autem ultro libenter fatemur: aliud quod Deipara omnia noverit, ita ut nihil ignoraverit; hoc autem ab omnibus negatur: sed si perpetuus ille de omni re non evidenti revelationum fluxus admittatur, eo ipso conceditur Deiparae non tantum non errasse materialiter, sed etiam omnia sibi occurrentia directē scivisse: ergo &c. ^{N.} Patet 4. quia perennes illae de omni re non evidenti, hic, & nunc Deiparae occurrenti, revelationes sunt contra statum operandi humanum, cui Deipara, etsi longè praestantiori, & inassequibili modo se accommodavit: ergo non nisi ex puro libito ea revelationum hypothesis fingitur. ^{N.} Si ergo ficta prorsus est ea revelationum series de omni re non evidenti tunc Deiparae occurrenti, superest, ut alter tantummodo modus immunitatem Marianae mentis ab omni prorsus materiali errore tuendi à nobis eligibilis sit; nempe quod Deipara circa omne objectum naturale sibi non evidens, etsi sibi probabilius, aut moraliter certum, suspenderit semper omne iudicium directum, etsi subjectivè probabilius, aut moraliter certum, nè ullo materiali errore inquinaretur; & nè operationem tunc à se eligendam omitteret, appellaret ad solum iudicium reflexum certum de objectivā probabilitate, aut probabilitate, aut moralit certitudine veritatis opinionis, seu iudicii directi; ita ut ab hoc solo iudicio reflexo de objectivā certitudine morali, aut de probabilitate veritatis opinionis, seu iudicii directi à se suspensi, Deipara proximè, & immediate regulata fuerit ad honestissimam volitionem operis exequendi: ergo ne quis formaliter peccet, & ut quis honestissime formaliter operetur, tantum abest, ut necessarium semper sit iudicium directum subjecti-

subjectivè probabile, probabilius, probabilissimum, aut moraliter certum de veritate iudicii directi opinativi; & tantum abest, ut tale iudicium directum opinativum censere debeam absolute verum; quin satis est solum iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate, sive æquali, sive maiori, sive minori, aut de objectivâ certitudine morali veritatis iudicii directi, suspenso omni prorsus iudicio directo. Immo adeo satis est solum iudicium reflexum certum, & evidens de objectivâ probabilitate, aut probabilitate, aut morali certitudine veritatis opinionis directæ, & honestatis ab eâ opinione directâ dictæ, ut longè perfectiori modo operaturus sit, qui unice nititur, & regulatur à iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate, aut probabilitate veritatis, & honestatis ab opinione directâ dictæ, quam qui vel habet solum iudicium directum subjectivè probabilius, aut moraliter certum, quo directè iudicat opinionem, & honestatem ab opinione assertam esse veram: vel simul, & semel habet tum iudicium directum subjectivè probabilius, aut moraliter certum, tum iudicium reflexum evidens de objectivâ certitudine morali, aut probabilitate veritatis opinionis directæ, & honestatis ab hac assertæ.

N. Poitro, quòd longè perfectius operetur, & intelligat, qui omne iudicium directum inevidens etsi moraliter certum de veritate opinionis directæ, & honestate ab hoc iudicio directo assertâ suspendit, *nixus unice soli iudicio reflexo evidenti non tantum de objectivâ certitudine morali, aut maiori, vel æquali probabilitate veritatis opinionis directæ, & honestatis ab hac assertæ; sed etiam nixus soli iudicio reflexo evidenti de objectivâ probabilitate etsi minori veritatis opinionis directæ, & honestatis ab hac assertæ;* quam qui habet, vel solum iudicium directum subjectivè moraliter certum, aut probabilius; vel simul habet utrumque, nempe tum directum subjectivè moraliter certum, aut probabilius; tum reflexum certum, & evidens de objectivâ certitudine morali, aut probabilitate veritatis iudicii directi, & honestatis ad hoc assertæ, est mihi luce clarius, & prorsus indubitabile. Etenim directè assentiens, etsi ex motivo sibi probabiliori, aut moraliter certo, potest per illud iudicium directum sibi moraliter certum errare materialiter; omne enim iudicium purè naturale non evidens potest non esse verum; & non nisi evidens, aut supernaturale inevidens est semper essentialiter verum: ergo omne tale iudicium directum, etsi probabi-

lissimum, & moraliter certum de veritate, & honestate objecti, quo iudicatur objectum esse honestum, & verum esse, quòd sit honestum, esse potest materialiter falsum.

¶ E contra nullum iudicium evidens reflexum de probabilitate etsi minori, & æquali, aut de probabilitate, & certitudine objectivâ morali veritatis iudicii directi, & materialis honestatis objecti ab eo iudicio directo assertæ potest esse materialiter falsum. Sed longè perfectius cognoscit, adeoque etiam operatur, qui suspendit omne iudicium, quod potest esse materialiter falsum, & unice appellat ad iudicium, quod non potest esse materialiter falsum, quàm qui vel concipit solum directum, quod esse potest materialiter falsum; vel concipit utrumque, nempe tam reflexum, quod non potest esse directum, quod potest esse materialiter falsum: ergo longè perfectius cognoscit, adeoque etiam operatur, qui unice, & proxime dirigitur ad sine peccato formali, aut ad honestè formaliter operandum, à solo iudicio evidenti de certitudine objectivâ morali, aut de probabilitate, immo de æquali, aut minori objectivâ probabilitate veritatis iudicii directi, & materialis honestatis objecti ab hoc assertæ, quàm qui dirigitur, vel à solo iudicio directo, etsi subjectivè probabiliori, aut moraliter certo de veritate sui ipsius, & de materiali honestate objecti à se asserti; vel regulatur tam ab hoc iudicio directo, etsi subjectivè moraliter certo, quàm à reflexo evidenti de objectivâ morali certitudine, aut probabilitate veritatis iudicii directi, & materialis honestatis ab hoc iudicio directo assertæ.

¶ Notet autem Lector, me non dicere, N. quòd omne iudicium probabilius, aut moraliter certum sit materialiter falsum; sed dico, quòd omne tale iudicium esse potest materialiter falsum, ut experientia, & ratio, & axioma testantur, nempe plura falsa esse probabiliora veris. Sicut ergo plura minus probabilia, immò improbabilia sunt in se vera; ita contra plura probabiliora, aut moraliter certa sunt in se falsa. Sic iudicium imprudens, & temerarium, & improbare lepe est in re verum; sicut etiam opinio tenuiter probabilis, aut non probabilis sepe est in re vera. Ratio horum est, tum quia, ut docui disp. 5. nulla datur essentialis connexio inter veritatem ut est in re, & probabilitatem etsi summam, immò certitudinem moralem: tum quia experientia aperit, quòd plura habita ita prudentissime vera in re, ut non nisi per summam temeritatem de eorum veritate, ut est in re, dubitari possit, lucellu

s. Cyp. cessu temporis apparuerunt falsa, ut exemplum Concilij Africani, cui S. Cyprianus praefuit, palam facit: tum quia non nisi evidentia, aut supernaturalitas essentialiter habent cum veritate, ut est in se, connexionem: ergo omne iudicium naturale, etsi moraliter certum, si ad evidentiam non ascendat, sed infra eam jaceat, potest esse materialiter falsum.

N. Rursus notet Lector, quod cum dico, quod omne iudicium etsi moraliter certum, & multo magis omne probabilius, & omne aequè, aut minus probabile, possit esse materialiter falsum, non dico, quod de ejus falsitate possim prudenter dubitare; satis enim est, ut imprudentissime dubitare possim; nam, ut docui *disp.* 18. sola evidentia omnem etiam imprudentem dubitationem excludit; pura autem moralis certitudo, & multo magis probabilitas, five maior, five aequalis, five minor, unicè excludit prudentem tantum veri dubitationem.

N. Demum notet Lector, quod dum dico, quod omne iudicium inevidens possit esse materialiter falsum, loquor tantum de iudiciis naturalibus, non de supernaturalibus; etenim actus Fidei Divinae est inevidens, nec tamen esse potest materialiter falsus, eo quia ratione supernaturalitatis unitur essentialiter cum vero, ut est in re; & ideo *disp.* 18. & in *tr. de Fide* docui, quod essentialis connexio cum veritate ut est in re, non nisi ab evidentia, aut à supernaturalitate derivetur; adeoque omne iudicium naturale inevidens potest esse materialiter falsum; nullum autem iudicium vel naturale evidens, vel supernaturalis non evidens potest esse materialiter falsum; illud, quia est evidens; hoc, quia est supernaturalis: ergo omne iudicium naturale non evidens etsi moraliter certum potest esse materialiter falsum.

§. II.

Ponderatur iterum praexcellens Deipara in sibi non evidentibus, & non revelatis, intelligendi, & operandi modus.

S U M M A R I U M.

Triplicem statum Deipara considero, n. 21.

Deipara plerumque suspendit iudicium directum, etsi moraliter certum, n. 22.

Et simul obligari potuit ad actum virtutis, n. 23.

Explico, n. 24.

Exemplifico, ibid. & n. 25.

Modus syllogizandi Deipara in incertis, ibid.

Medium impossibilitatis immunitatem intellego.

Tom. III.

flus Mariani ab omni errore est obligatio iudicii directi incerti, & huius suspensio est medium eam defendens, n. 26. 27.

Nil solidius ad nostrum intentum, quam colloquium Deiparae cum Gabriele Archangelo, n. 28.

Non illicò assentitur directè Angelo, n. 29.

Aliae reflexiones, ibid. & n. 30. 31.

Sed revertamur ad Deiparam, ejusque N. privilegium roboremus, ut & nostrae conclusionis veritas elucescat, & vivax imitandi Deiparam; ejusque in intelligendo, & operando perfectionem, in nobis studium accendatur. Triplicem itaque Deiparae statum considero. Primus à sui exordio ad Divini Verbi Maternitatem, quo tempore plerumque inter coetaneas sibi puellas in Templo vixit. Alter à Divini Verbi Maternitate ad Filij sui mortem, quo tempore plerumque inter Scribas, Phariseos, Hypocritas, aliosque nefarios homines vitam duxit. Postremus à Filij sui morte ad sui Assumptionem, quo tempore tum inter Apostolos, eorumque Discipulos, tum inter cujusvis generis, nationis, & morum homines, nunc audiendo, nunc respondendo commorata est.

In hoc triplici statu, & in quolibet eorum N. Deipara plures audit, plures allocuta est, & cum pluribus collocuta, prout necessitas ferebat. Quæro modo, an Deipara directum semper formaverit iudicium de veritate, aut falsitate rei sibi non evidentis, & à se audite; etsi eam tamquam veram testarentur pietiores, & sapientiores sui temporis viri, & ea videretur Deiparae probabilissima, aut moraliter certa? Ex. gr. an Deipara directè crediderit omnia, quæ tamquam vera asserebant Divi Anna, Joachim, Joseph, immò Puellæ ad Dei cultum dedicatæ, quibus Deipara convivebat? Si affirmatur, contra est; quia vel fingendum erit in relatis Divis, & Puellis privilegium, quo numquam materialiter falsum, sed semper materialiter verum locuti sint. Vel si aliquando materialiter falsum locuti sint, (ut passim contingit etiam Novi Testamenti Doctoribus, quantacumque sapientiâ, & sanctitate florentibus) dicendum erit, quod Deipara directè crediderit illud ipsum materialiter falsum, atque adeo purissimam mentem suam materiali errore polluerit. Hoc autem est contra hypothese[m] admittam ut indubitam.

Si verò dicatur, quod Deipara nullam N. rem inevidentem directè crediderit, etsi ea ab integerrimè sanctitatis, & sapientiæ viro, ut Viatorem decet, tamquam moraliter certa

Z

asserere.

assereretur, contra est; quia saepius instare poterat operatio aliqua virtuosa à Deipara ponenda, siue ea ab obedientia, quâ suis Parentibus tenebatur, confuleretur, aut juberetur, siue ab aliquo Antiquæ Legis Doctore, ut obligatoria proponeretur, siue à charitate, misericordia, aut aliâ virtute dictaretur; ergo ea operatio ab aliquo iudicio regulanda erat; sed non à directo, hoc enim poterat saepe esse materialiter falsum; ergo à solo iudicio reflexo evidenti de objectivâ certitudine morali, aut probabilioritate, aut probabilitate veritatis, & honestatis rei dictæ.

N.
24.

Explico. Poterat Diva Anna Deiparæ præcipere, ut quaereret D. Joachim, quem D. Anna certò moraliter putabat, etsi falso, esse in hoc, aut illo cubiculo. Poterat Puella aliqua dicere Deiparæ consanguineam suam graviter ægrotare. Poterat hic, aut ille, fictus pauper, habitus vulgò ut verè pauper, testari, etiam addito juramento, in eam suam. Cur non? Quæro modò à quo iudicio Deipara ad honestam, sibi quæ à Matre suâ imperatam Patris sui quæstionem regularetur? A quo ad honestam consanguineæ suæ, assertæ ut infirmæ, visitationem? A quo ad honestam viro, vulgò habito ut pauperi, elemosynæ largitionem? Quæro, inquam, à quo iudicio regulata fuerit Deipara ad honestam eorum operum volitionem, quæ certò moraliter assererentur directè, & in se vera, & ut materialiter honesta in se, cum tamen, ut suppono, non essent? Non à iudicio directo; etenim Deipara errasset materialiter iudicando Patrem suum esse in tali cubiculo, in quo non erat: & consanguineam ægrotare, quæ tamen non ægrotabat; & talem hominem esse pauperem, qui tamen verè pauper non erat: hæc, inquam, directè iudicando, Deipara errasset materialiter: ergo à solo iudicio reflexo evidenti de probabilioritate rei à Divi Annâ, & à Puella, & à plerisque assertâ, ad honestatem eorum operum volitionem regulata fuit. Ita enim Deipara secum discurrebat: Mihi est evidenter probabile, probabilius, vel moraliter certum, quòd verum sit, & honestum id, quod D. Anna, quod puella, quod alij mihi indubitanter visi tamquam cordati, & prudentes, testantur, & consulunt: sed D. Anna testatur Divum Joachim in tali latere cubiculo, & consulit ut eum quæram; Puellæ testantur consanguineam meam graviter laborare, & consulunt visitationem ut honestam; & plerique testantur, & habent pro vero paupere hunc hominem, & consulunt elemosynam ut honestam: er-

go est evidenter probabile, aut probabilius, aut moraliter certum, quòd sit in re verum, & quòd sit materialiter honestum, quæstio Patris in tali cubiculo, visitatio consanguineæ, & opitulatio talis viri.

Ecce non dicit Deipara: Meus parens est N. in tali cubiculo; mea consanguinea pæcet 25. ægrota; hic homo est pauper: similiter non dicit, quæstio Patris in tali cubiculo, visitatio meæ consanguineæ infirmæ, opitulatio huius pauperis sunt operationes in re materialiter honestæ; neutrum horum dictum quia objecta eorum iudiciorum sunt in re difformia ipsi iudicijs directis; tum quia operationes illæ supponunt falsum; ergo non sunt in re materialiter honestæ; ergo Deipara de his operationibus, & de illis objectis nihil directè iudicat. Sed quòd dicit Deipara est: Mihi est evidens, quòd sit probabile, aut probabilius, aut moraliter certum, quòd meus parens sit in tali loco: Mihi est evidens non tantum esse formaliter honestum, sed etiam esse probabile, probabilius, aut moraliter certum, quòd quæstio Patris in tali loco, ut à meâ Matre imperata, sit materialiter honesta: Mihi est evidens esse probabile, probabilius, aut moraliter certum meam consanguineam ægrotare; & mihi etiam est evidens non tantum esse formaliter honestam, sed etiam probabile, probabilius, aut moraliter certum esse, quòd visitatio consanguineæ à Puellis fide digna assertæ ut ægrotæ sit materialiter honesta: Mihi est evidens esse probabile, probabilius, aut moraliter certum talem hominem esse verè pauperem; & mihi est evidens non tantum esse formaliter honestam, sed etiam esse probabile, probabilius, aut moraliter certum, quòd sit materialiter honesta opitulatio pauperis vulgò crediti verè pauperis. Hæc autem iudicia reflexa supra objectivam certitudinem moralem, probabilioritatem, aut probabilitatem rei assertæ ut in se veræ, & operationis assertæ, ut in se honestæ, sunt evidentiâ, & apta proximè, & immediatè regulare volitionem formaliter honestissimam, & probabiliter, aut probabilius etiam in se honestam, nempe querendi Patrem, visitandi ægrotum, juvandi pauperem.

Confirmo 1. Si Mariana mentis ab omni materiali errore immunitas salvari medio naturali potest, salvari debet, nam in hanc immunitatem omnes T.T. & Expolitores conspirant. Rursus si medium eam immunitatem impossibilitans vitari potest, vitari debet; sed medium impossibilitans Marianæ mentis ab omni materiali errore immunitatem est obligatio asserta à Philaleto, P. Elia. P. Phil. P.D.

P. Thyr. P. D. Thyrso, P. Munies. iudicandi semper
P. Mun. directè tamquam in re verum, & in re ho-

nestum omne id, quod probabilius, aut cer-
tò moraliter apparet in re verum, & in re
honestum; etenim hæc obligatio iudicandi
semper directè esse in re verum, & hone-
stum id, cuius veritas, & honestas apparet
probabilior, aut moraliter certa, est obliga-
tio errandi sæpe materialiter circa veritatem,
& honestatem, ut sunt in re; nam omne
probabilius, aut moraliter certum potest ef-
se materialiter falsum: ergo hæc obligatio,
aut lex iudicandi semper directè de rebus
iuxta probabilitatem, aut morale cer-
titudinem veritatis, & honestatis earum, est
medium Marianæ mentis ab omni materiali
errore immunitatem prorsus labefactans, im-
mò impossibilitans.

N. 27. Econtra: Sed medium naturale, quo ead-
dem Marianæ mentis immunitas salvari sem-
per facillimè potest, est suspensio omnis ju-
dicii directi, etsi moraliter certi, & recur-
sus ad iudicium reflexum evidens de obje-
ctivâ probabilitate, probabilitate, aut
morali certitudine veritatis, & honestatis
objectivæ, quod iudicium reflexum evidens
sit regula formalis, & proxima volitionis, &
operationis honestæ; ergo hæc suspensio om-
nis iudicii directi non evidens, etsi mora-
liter certi, aut probabilioris; & præsentia
soli iudicii reflexi evidens de objectivâ
certitudine morali, aut probabilitate, vel
probabilitate veritatis, & honestatis mate-
rialis, seu objectivæ, à iudicio directo affir-
mabilis salvari debet in Deiparâ; non tan-
tùm, ut ejus ab omni materiali errore im-
munitatem tucamur, sed etiam, ut simul de-
fendamus, à quo iudicio Deipara in opera-
tionibus non evidenter honestis regulata
fuerit ad formaliter honestas volitiones eo-
rum actuum certò moraliter, aut probabi-
lius, materialiter, seu objectivè honesto-
rum.

N. 28. Confirmo 2. ex Colloquio Deiparæ cum
Gabriele Archangelo, quo nil præstantius
ad nostrum intentum. Ut enim S. Gabriel
mirabili salutatione Virginem exceperit, di-
cens: Ave gratiâ plena, Dominus tecum: Be-
nedicta tu in mulieribus, turbata est Maria,
quidque hæc salutatio portenderet, pavida
consideravit; adeo, ut Gabriel cordatam
mentis Virginæ suspensionem suspiciens
opus haberet eam animi perplexitatem, &
timorem excutere, subdens: No timeas Maria,
invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concip-
ies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen
ejus Jesum. Nec tamen prudentissima Virgo
his contenta præbuit assensum; quin Ange-

Tom. III.

lumfroget, edisseret, *Quomodo fiet istud, quo-
nam virum non cognosco;* cui Angelus ipon-
det, superventurum in eam Spiritum S. &
virtute Altissimi obumbrandum. Immo post
hæc trahit in exemplum, tum quod concep-
tus ab Elilabeth in senectute sit filius, tum
quod nihil apud Deum sit impossibile. Tan-
dem his omnibus auditis, & perpenfis, Virgo
directè assentitur: *Ecce ancilla Domini, fiat
mihi secundum verbum tuum.*

Ponderanda nunc à me sunt singula. Pri-
mum, qualiter prudentissima Virgo, non
cum homine, sed cum Angelo Tutelari suo
se gerat. Non illico directè assentitur Ange-
lo loquenti, & rei ab eodem assertæ, cum ex
se non esset evidens, etsi Virgini longè pro-
babilior esset, tum quod alloquens erat An-
gelus ei non ignotus; (nam familiari, ut piè
creditur, gaudebat ejus confortio) tum quod
res dicta erat vera; non enim poterat pru-
denter suspicari falsitatem in re ab Angelo
assertâ: & tamen nec Angelo, nec rei ab eo-
dem assertæ assentitur directè; quin omnem
prius assensum directum suspendit. Secundo
non contenta hæc iudicii suspensione, Virgo
reflexè considerat, qualis esset hæc salutatio;
nec salutationi ipsi, quamvis ab Angelo emis-
sæ assentitur directæ, ut veræ, eo quia evidens
non erat; quin si stemus his, quæ S. Lucas
habet, nullatenus ex Euangelio constat,
quod Virgo directè assensa fuerit salutatio-
ni ut veræ; de hoc enim nec verbum in Eu-
angelio. Tertiò, excusso animi timore, Dei-
para reflexè iudicat sibi probabilior, aut mo-
raliter certum esse, quod res ab Angelo pro-
missa sit vera; nempe nasciturum ex se Dei
Filium; nec tamen adhuc absolute directè
assentitur rei ab Angelo promissæ; quin ut
ei directè assentiri possit, novâ interrogatio-
ne Angelum sollicitat: *Quomodo hoc fiet?*
Quarto perpenfis noviter adductis ab Ange-
lo motivis, tunc tantùm directè assentitur
rei ab Angelo dictæ; nempe quando vel ha-
buit evidentiam, qualem plures TT. in
Prophetis asserunt; vel si evidentiam non
habuit, attamen evidenter cognovit credi-
bilitatem revelationis, & obligationem
credendi directè, quod ita est evidenter cre-
dibile, ut sit moraliter certum esse dictum à
Deo. Neque enim evidentia rei revelatæ, &
revelationis expectanda est, ut utramque fi-
de Divinâ credamus, quin evidentia rei re-
velatæ, & revelationis tolleretur à fide obscu-
ritatem ut dixi de Fide; ergo cum res, de
quâ Angelus agebat cum Deiparâ, esset ma-
teria fidei, seu credenda fide Divinâ, non
poterat Deipara velle evidentiam, sed satis
ut haberet evidentiam tantæ credibilitatis

Zij

revela-

revelationis, & rei revelatae, ut deinde teneretur directè assentiri rei revelatae.

N.
30.

Secundum est, qualiter Virgo se gerat, & quidem in re, de qua, salva libertate fidei, evidentiā haberi non poterat; quamvis ea non minus, quam ab Archangelo sibi noto assereretur ut vera. Etenim auditā salutatione turbatur, immò circa veritatem salutationis ab Angelo assertae suspendit iudicium directum. Similiter anceps haeret, & sine omni iudicio directo circa futuram Divini Verbi suo in utero Incarnationem, quin Angelum loquentem interpellat; nec Divini Verbi Incarnationi directè assentitur, nisi postquam Incarnatio fide Divinā credenda fieret eidem Deiparae eā evidentiā evidens, quā fidei Divinae libertati compatibilis est; nempe evidentiā credibilitatis, revelationis, & rei revelatae, non autem evidentiā revelationis, & rei revelatae; hæc enim evidentiā revelationis, & rei revelatae non stat cum libertate fidei Divinae.

N.
31.

Tertium est, quod si tantā maturitate, & omnis iudicii directi suspensione, tum circa revelationem, tum circa rem revelatam Deipara processit, quamvis neutiquam de veritate rei à suo Angelo sibi dictae posset prudenter formidare: immò, quod caput est, si omne iudicium directum circa salutationis veritatem suspendit; non enim constat, eam directè credidisse: rursus, si circa Verbi Incarnationem, cuius directum assensum supernaturalem, & voluntatis obedientiam, Angelus Dei nomine à Deipara unice, & præcipuè præstolabatur, & exigebat; si, inquam, circa Incarnationem Deipara tanto tempore suspendit assensum directum, quotisque superventurus Spiritus S. & virtus Altissimi obumbratura promitteretur; nec non quousque conceptio sterilis Elisabeth in exemplum traheretur; immò ad infinitam Dei potentiam, cui nihil impossibile est, appellaretur, adeo ut Deiparae satis non fuerit vel moralis certitudo de veritate rei ab Angelo assertae, ut directum circa Incarnationem conciperet assensum supernaturalem; quin omnia exigit, quæ necessaria sunt, ut actus fidei Divinae liberae supernaturalis, & verus prudentissimè eliciatur, rogo quā animi maturitate, & iudicii directi suspensione in rebus ex se non evidentibus, & longè inferioris momenti, assertis, non ab Angelo comprehensore, sed ab hominibus viatoribus ex se rudibus, & ad falsitatem pronis, & quorum directus assensus necessarius non est, procedere debuit Deipara? Ergo velle, quod ut quis sine peccato formali, aut honeste formaliter operetur, necessarius semper

sit assensus directus, quoties rei veritas, aut honestas est moraliter certa, aut probabilior, aut probabilis, ita ut satis se solo non sit iudicium reflexum evidens de morali certitudine, aut probabilioritate, aut probabilitate veritatis, & honestatis materialis, videntur ex diametro opponi modo, quo Deipara, tum cum Angelo, tum cum hominibus procedit, quoties res erat de objecto non evidenti, nec exigebatur supernaturalis assensus fidei Divinae, sed iudicium naturale.

SECTIO II.

Illustratur novo exemplo perfectissimus intelligendi, & honestissimus Deiparae operandi modus per iudicia reflexa evidentiā de probabilitate, aut probabilioritate veritatis, & honestatis materialis.

§. I.

Auditur P. Terillus, & rejicitur Palanci.

SUMMARIUM.

P. Terilli doctrina, quod probabilitas excuset Parentes, ne Jesum citius quaerant, n. 32.

Exclamatio Palanci, n. 33.

Allego fusiuss mentem P. Terilli, n. 34.

Unice opponi potest P. Terillo, quod exemplum non respondeat questioni, n. 35.

At, exemplum est evidenter contra Palanci, & suadet sufficientiam solius iudicii reflexi, ut quis honeste operetur, n. 36.

Exemplum est etiam ex alio capite contra Palanci tuentem, quod probabilitas sit via perditionis, n. 37. & 38.

CRedideram novum esse argumentum N. ex Deipara sumptum, quæ ut honeste operaretur, soli nitebatur probabilitati objectivæ; at deinde illud à P. Terillo p. 22. de Consc. n. 201. obiter insinuat in alio sensu legi; ait enim vir in paucis doctus: Non est dubium, quod magna Christum D. servandi, & colendi obligatio urgebat Deiparam, & ejus Sponsum: & tamen hos sola probabilitas à peccato excusavit, quando ipsis Hierosolymam redeuntibus, puer Jesus mansit in Hierusalem; ut enim habetur Lucæ 2. Existimantes eum esse in comitatu, cernerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Ecce (inquit P. Terillus) integrum diem progressi sunt absque amantissimo Jesu; peto autem, quid illos excusavit, quominus illum citius quaererent? Non aliud, quam probabilitas, quod esset in comitatu; hæc enim probabilitas fundabat iudicium